

T23

Epigrammi V, 37

Il “coraggio” di Peto

Puella senibus dulcior mihi cycnis,
 agna Galaesi mollior Phalantini,
 concha Lucrini delicatior stagni,
 cui nec lapillos praeferas Erythraeos,
 5 nec modo politum pecudis Indicae dentem
 nivesque primas liliumque non tactum;
 quae crine vicit Baetici gregis vellus
 Rhenique nodos aureamque nitellam;
 fragravit ore quod rosarium Paesti,
 10 quod Atticarum prima mella cerarum,
 quod sucinorum rapta de manu glaeba;
 cui comparatus indecens erat pavo,
 inamabilis sciurus et frequens phoenix:
 adhuc recenti tepet Erotion busto,
 15 quam pessimorum lex amara fatorum
 sexta peregit hieme, nec tamen tota,
 nostros amores gaudiumque lususque.
 Et esse tristem me meus vetat Paetus,
 pectusque pulsans pariter et comam vellens:
 20 “Deflere non te vernulae pudet mortem?
 Ego coniugem” inquit “extuli, et tamen vivo,
 notam, superbam, nobilem, locupletem”.
 Quid esse nostro fortius potest Paeto?
 Ducentiens accepit, et tamen vivit.